

Saturnus gubernator partis fortunæ, dat diuitias ex ædificationibus, uel ex terrarum cultibus, aut ex nauigationibus.

Iupiter, ex commendationibus, bonis moribus, necnon ecclesiasticis dignitatibus, aut ex alijs honestis actionibus.

Mars ex exercitu, rerumq; dominio, & imperio dabit.

Venus ex amicorum donationibus, uel ex mulieribus.

Mercurius, ex mercimonijs, & propria industria.

Quòd si Iupiter in gubernatione cum Saturno participauerit, uel Saturnum dominum partis Iupiter aspexerit, diuitiæ nati erunt ex hæreditate, & bonis mortuorum, maxime si Iupiter simul sit in signo communi, uel habeat aspectum cum Luna, tunc enim significat quod natus etiam extraneorum hæreditates lucrabitur. Verum si planetæ qui fuerint de hayz planetarum gubernatorum partis fortunæ, eis testificati fuerint, aut eos aspexerint, nati possessionem durabilem esse, & apud domum remanere, & fortunari designabunt. At si planetæ contrarij hayz & naturæ, prædictis significatorum partis fortunæ locis, testificati fuerint, eleuati super ea, aut ijs associati; aut aspicientes in figura, amissionem substantiæ demonstrabunt, Hac Ptolemæus.

Sententiæ & aphorismi aliorum.

- Secundam domum.
 Almuten eius.
 Partem fortunæ.
 Dominum eius.
 Partem substantiæ.
 Dominum eius.
 Consignificatorem secundæ, qui semper est Iupiter.
 Almuten significatorum substantiæ.
 Tres dominos triplicatis secundæ domus.
 Tres dominos triplicitatis luminaris conditionarij.
 Secundum dominum triplicitatis octauæ domus.
 Secundum dominum triplicitatis decimæ domus.
 Secundum dominum triplicitatis undecimæ domus.
 Tertium dominum triplicitatis primæ domus.
 Secundum dominum triplicitatis quintæ domus.
 Primum dominum triplicitatis sextæ domus.
 Secundum dominum triplicitatis octauæ domus.
 Partem fiducia.
 Partem hæreditatum & possessionum.

Generalis regula in re facultatum & substantiæ nati alicuius est, ut aspicias hos significatores, pro extrahendo Almuten significatorum substantiæ, ut sequitur.

Almuten significatorum substantiæ extrahitur à	} Cuspide secundæ domus } Domino eius } Planeta in secunda Parte fortunæ } Domino eius } Parte substantiæ } Domino eius } Ioue naturali significatore substantiæ	} Almuten illorum si fuerit unus uel plures, uide eius esse tam in bono quam malo, & quam habeat commixtionem cum domino ascendentis, & scribe uniuscuiusq; proprietatem ad partem, tam eorum quæ significant diuitias, quam eorum quæ arguunt paupertatem. Deinde iudica ut inueneris per fortiores, tam in bono quam in malo.	
			R 2
			Vel